DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INTEMPERANTIA

ET

MORBIS INDE DERIVATIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER ROSS, A. M.

Scotus:

SOCIET. MED. ET PHYS. ABREDON. SOC.

——— wealth brought luxury,
And luxury on sloth begot disease.

ARMSTRONG.

VIII *Kalendas Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT CAR. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCIX.

VIRO REVERENDO

GULIELMO SIMPSON,

ECCLESIAE TRONENSIS

IN URBE EDINBURGENA

MINISTRO;

NON MINUS

DOCTRINA DOTIBUSQUE ANIMI,

QUAM VIRTUTIBUS OMNIBUS,

QUAS IN VIRO ET CHRISTIANO

ET LAUDES ET IMITERIS,

INSIGNI;

HANC DISSERTATIONEM

GRATI ANIMI

SINCERUM QUAMVIS PERTENUE

TESTIMONIUM,

BENEFICIIS MULTIS DEVINCTUS,

D. D. C. QUE

ALEXANDER ROSS.

AVUNCULIS SUIS CARISSIMIS,

HONORABILI

JOANNI HARVEY,

INSULAE GRENADENSIS;

ET

ROBERTO FARQUHAR,

ARMIGERO, LONDINENSI;

OB BENEFICIA NEC PAUCA NEC PARVA,

IN SE SUOSQUE COLLATA;

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

EXIGUUM SED SINCERUM,

ANIMI HAUD INGRATI,

AMICITIAEQUE SOLVI METUENTIS,

MONUMENTUM,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

INTEMPERANTIA.

ALEXANDRO ROSS, AUCTORE.

Cum multos spectemus gravesque morbos quibus obnoxium est genus humanum, primo aspectu animus fert fragilitatem hominis et imbecillitatem lugere. Sed si rem altius perpendimus, inque causas horum morborum inquirimus, forsàn reperiemus plerosque a stultitia vel imprudentia aegrorum originem ducere; erroribus potius voluntariis gratisque, quam ulla necessitate inevitabili, gigni.

Harum omnium causarum Intemperantia pro maxima habenda est. Sub nomine Luxuriae specioso quotidie crescit, per populos ceu pestis longe lateque grassatur, aequo fere pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres, viresque acquirit eundo. Quousque jam progressa est vix cuique credendum qui malos ejus effectus vel nunquam viderit, vel prorsus neglexerit.

Longa intemperantiae consuetudo cohortem malorum dirissimorum inducit, ut in paginis sequentibus satis patebit. Omni igitur cura oportet hos effectus indagare ac in lucem proferre, ut posteri vitent scopulum qui naves bene multas fregit, miserisque haud paucis exitio fuit. Parum novi hac de re me prolaturum esse satis scio, sed catalogus morborum quos gignit Intemperantia, si nihil amplius tradam, terrorem helluoni et ebrioso injicere debet, et absterrere alios qui nondum huic vitio sese dederunt. Si hactenus proficiam labor non frustra erit.

Intemperantiam non, ut plerique faciunt, hic voco *crapulam* sòlum aut *inebriationem,* sed vocabulum, sensu multo magis generali nunc usurpabo. Cum cibus majore copia sumitur quam qui ad famem eximendam, corpusque quotidie exhaustum rite reficiendum, sit necessarius, huic nomen Intemperantiae Edendi impono; et eodem modo Intemperantiam Bibendi voco, quum plus potûs sumitur quam (dum vires vitae integrae remanent) quod ad sitim restinguendam sufficiat. Huic definitioni perpauci forte assentiuntur, nam si justa est, quam pauci temperati habendi sunt. Haec autem mihi videtur vera vocis significatio.

DE INTEMPERANTIA EDENDI.

——— Tibi quaerit inanis
Luxuries nocitura cibos, mihi donat
Inemptas terra dapes.

CLAUDIAN.

Reparare dispendium, quod per totum vitae decursum subit corpus, materiamque praebere variis secretionibus quae in corpore sano perpetuo peraguntur, debita copia cibi potûsque necessaria est. Quantitas alimentorum quae satis sit ad corpus nutriendum variat in variis hominibus. Quae intemperantia in alio, moderatio in altero, vocari potest. Nam in quibusdam hominibus prae caeteris cibi melius concoquuntur chylusque melior inde formatur ac majore copia absorbetur. In quibusdam quicquid in ventriculum assumptum fuerit fere totum in chylum formari videtur, dum excreta admodum parca sunt. In aliis contrà pars cibi exigua tantum in chylum con-

vertitur, variaque excreta, praesertim per alvum, uberrima sunt. Illis igitur clare constat cibi ad corpus nutriendum multo minus quam his requiri. Ad has res idcirco respicere oportet.

Helluatio vitium est quod rarum crederemus; tantum affert anxietatis, oppressionis et molestiae, ventriculus cibo immodico distentus. Attamen ubique fere reperitur, crevitque ultra quam cuiquam credibile foret, qui propriis oculis progressum ejus non quotidie observâsset. Cibus a multis devoratus, si cum quantitate quae corporis nutritioni satis sit comparatur, omnem exsuperat fidem. In hoc regno constat libras duas farinae avenaceae, cum lactis despumati libris duabus indies ad hominem robustum, sanum, laboriosam vitam degentem, alendum plus satis esse. Cum his cibis temperatis sed satis nutrientibus epulas divitis, qui vitam lautam segnemque agit, comparemus. Pro jentaculo potum ex Thea, Choava vel Cacao confeçtum, et cum multo sac-

chari spumaeque lactis commixtum, panem cum butyro, ova, pisces, suillam, horum plura pauciorave, vel omnia fortasse simul, consumit. Post paucas horas apponitur quod linguâ vernaculâ *luncheon* appellatur, constans ex c rnibus assis frigidis, ct vino vel cerevisia meraciori, quorum multo plus, quam pro prandio sufficeret, devorat. Paucis inde horis elapsis ad prandium venit, mensaeque dapibus omnigenis onustae accumbit. Fortasse incipit a jusculo pinguissimo cujus, cum pane simul comeso, capit quantum pro prandio sufficeret. Tum forte pisces eliquamine butyraceo conditos devorat. Tum ad varia genera ac praeparata carnis pergit quorum, vini cyatho subinde interposito, capit quantum potest continere ventriculus. Post hoc ventriculum sensus ponderis molestus cum anxietate urget, et ad hanc molestiam levandam sumitur cyathus liquoris spirituosi et postea fortasse ampulla una vel amplius vini meracioris. Ad soporem, qui post paucas horas succedit, tollendum, Theae vel Choavae infusum bibit, cum quo, si potest

accipere ventriculus, panem dulcem aut crustulum pingue comedit. Laborem diei concludit coena gravis, constans ex carnibus, avibus, variisque bellariis, quibus devoratis, hauritur magna quantitas liquoris notissimi qui linguâ Anglicâ *punch* vocatur. Raro autem coena est; adeo ad prandium distenditur ventriculus ut plus cibi eo die accipere nequeat. Veritatem certe non exsupero affirmans hoc modo cibi quantitatem quater, quinquies vel fortasse decies sumi quam quae ad corpus alendum sufficeret. Si hae epulae cum mensâ pauperis tenui supradictâ comparantur, quis quod jam proposui negabit, aut conclusioni inde deducendae resistere audebit? Morbus sub unâ alterâve formâ helluonem invadet, ac horae momento forsàn quo pravis gulae vitiis indulget, orco demittet: Vel si mortem subitam effugiat, morbi longiores nec minus extorquentes tandem certissime extinguent: Justo enim dixit elegans Addison. "For my part, when I behold a "fashionable table set out in all its magnificence, I fancy I see gouts and dropsies, "fevers and lethargies, with other innumer-

" able distempers lying in ambuscade among
" the dishes."*

Quis mirabitur tam pravum vitae cursum hos malos effectus edere—ventriculum, organon delicatissimum naturâque aptum ad alimenta sine arte elaborata sola recipiendum, stimulis immodicis et mechanicis et chemicis quotidie admotis, tandem laedi; aliasque corporis partes, vel ex consensu quem cum ventriculo habent, vel ex aliis causis, in morbos incidi? Magis mirandum est haec mala non saepius occurrere, et si natura non intenderet vim suam medicatricem, quâ sanitatem tuetur morbosque depellit, corpus actioni tot virium nocentium vix per aliquod temporis spatium obstare potuit.

Appetitus cibi immodicus (ut mihi videtur) ad luxum praevalentem deliciasque multas quae divitum mensis perpetuo apponuntur, referendus est, sed prae omnibus hodiernae illae pravae consuetudini vinum aut liquores spiritu-

* Vide Addison. Spectator.

osos etiam, inter edendum bibendi. Stimulus ventriculo sic admotus actionem ejus auget, et appetitum falsum creat, cui ut satisfaciamus auctam cibi copiam devorare oportet. Multa nostra condimenta ac eliquamina similem edunt effectum.

DE INTEMPERANTIA BIBENDI.

"Oh! seldom may the fated hours return
"Of drinking deep! I would not daily taste,
"Except when life declines, even sober cups:
"Weak with'ring age no rigid law forbids
"With frugal nectar smooth and slow, with balm
"The sapless habit daily to bedew,
"And give the hesitating wheels of life
"Gliblier to play: but youth has better joys,
"And is it wise, when youth with pleasure flows,
"To squander the reliefs of age and pain?"

ARMSTRONG.

Intemperantia Bibendi vitium est quod, per populos summos et imos, nunc ubique praevalet, magisque mortiferum quam Intemperantia Edendi. Tam frequentia et bene intellecta sunt mala quae corpori infert ut de his nulla dubitatio existere possit. Quam multas victimas huic consuetudini perniciosae quotidie cadere cernimus!—quam multos homines vino deditos, quibus olim gratia, fama et non deficiens

crumena abundè contingebant, nunc ad conditionem brutorum animalium vitâ pejorem infeliciter redactos. Nemini hac de re etiam brevissimè cogitanti mirum videbitur magnam vini aut liquorum spirituosorum copiam in ventriculum acceptam et huic maxime nocere morbosque toti corpori inferre. Saepe subita mors ebriosum e vivis eripit. Certe si prava inebriationis consuetudo non abrumpatur, morbi gravissimi et immedicabiles inducentur. Moris autem fere universi parvam vini aut liquorum spirituosorum quantitatem quotidie bibendi, quem multi non solum innocuum sed etiam salutarem credunt, hujus moris perniciosissimi malos ostendere effectus praesertim in animo est. Hic mos pejor est quam in homine alioquin temperato inebriatio occasionalis. Per breve tempus quidem sine damno manifesto indulgeri potest, sed si in consuetudinem confirmetur, fit quasi corporis constitutioni necessarius et miser intermittere nequit. Si amotus fuerit haustus molestiam sentit, senescensque copiam augere cogitur. Hoc modo corpus brevi frangitur, morbique et mors cito subse-

quuntur. Mirum est non posse hominibus persuaderi hunc morem ullos malos effectus posse afferre. Affirmant contrà modicam vini aut liquoris spirituosi copiam non solum innocuam esse, sed etiam necessariam ut concoctio bona promoveatur. Cum mali effectus oborti sunt, tum sibimet persuadent oriri a viribus corporis deficientibus, et tollere conantur aucta liquoris copia; et si quisquam hunc errorem extorquere veramque mali ostendere originem summâ ope niteretur, tanta est vis consuetudinis ut nullam ei fidem adhibeant, vel affirment se in magno discrimine fore, si stimulus solitus detrahatur, sine quo non vivere posse credunt.

Absurdum tamen est dicere ullum liquorem stimulantem ad concoctionem promovendam necessarium esse, dum vita viget, modo cibus modicus sit. Hujus rei ampla documenta dant temperati hujusce regionis incolae quorum multi per totam vitam nihil cerevisiâ tenui meracius unquam bibentes usque ad octogesimum vel nonagesimum aetatis annum, mentis

dotibus nihil imminutis, perveniunt. Consilium fuisse videtur naturae homines ex modico cibo vivere, et nihil nisi aquâ pro potu uti. Aquam solam ministrat natura; alia liquida quae in locum ejus male suffecta sunt, arte fiunt, et magis ut medicamenta quam pro potu quotidiano utenda sunt—ad valetudinem amissam restituendam, non (ut nunc) ad eam perdendam. Horum liquidorum longe perniciosissimi sunt spiritus varii distillati, qui plus minusve diluti potionem adeo communem in hac regione constituunt. Quantitas eorum in urbe huic simili consumpta omnem exsuperat fidem, ac quotidie augetur, et sanitati et moribus civium aeque exitiosa. Usus liquorum spirituosorum qui tantum nuperis annis invaluit maxima reipublicae clades certe habendus est. Ars nunquam munus perniciosius homini dedit, nec labores Scientiae unquam tam male collocati sunt quam cum vias quibus liquores spirituosi distillentur faciliores monstrabant, et sic pauperrimis potionem communem suppeditabant. Dolendum est nullum adhuc satis grave his im-

positum fuisse vectigal, quod tam vulgarem eorum usum prohiberet; nam

> "Hoc fonte derivata clades
> "In patriam populumque fluxit."
>
> Horat.

Aut distillatio cerevisiae tenuis solum permitti debet, quae ex materia quam continet saccharina, corpus nutrit, et satis excitat. Quando autem tam immensa vectigalia ex liquoribus spirituosis distillatis in fiscum redeunt, vix credendum est in his pravis temporibus eos unquam prohibitum iri. Sed certe nullum commodum cum populi sanitate bonisque moribus comparandum est.

Vini quotidianus usus, etsi minus noxius quam liquorum spirituosorum, multa mala corpori affert. Dum vita viget nihil aliud nisi aquam aut liquores fermentatos tenuissimos bibere nosmet assuescere debemus. Post hoc cum vires corporis naturales languescunt, segniusque perficiuntur functiones, usus vini temperatus concedendus est, et unum est ex op-

timis donis homini datis. Vinum hoc modo adhibitum sanitatem conservat ac potentissimum contra morbos auxilium praestat. Sed in his qui usui ejus a primis annis addicti fuerunt, quanquam vires vigoremque primo praeter naturam auget, corpus tandem frangit, maturamque senectutem, aut morbos nullis remediis medicabiles, inducit. Porro, si morbos non per se induxerit, ab aliis causis inductos nunquam non adauget, et cum, ex usu vini quotidiano, actio ejus in corpus perdita fuerit, nihil proderet pro remedio adhibitum. Hoc solum est argumentum validissimum contra vini usum quamdiu bona valetudine fruimur, ut in multis morbis remedium fere solum est quod adhiberi potest. Praeterea usum vini immodicum vulgò comitatur Intemperantia edendi. Haec duo vitia simul juncta hominem robustissimum cito infirmabunt:

"Et neque jam color est misto candore rubore
"Nec vigor et vires, et quae modo visa placebant
"Nec corpus remanet."

Ovid.

DE MORBIS QUOS GIGNIT INTEMPERANTIA.

His praemissis nunc ad Morbos, qui ex Intemperantia oriuntur, explicandos progrediar. Ordinem sequar quem in Nosologiâ suâ celeberrimâ instituit CULLENUS.

Febres—Horum morborum dirissimorum causam esse Intemperantiam satis constat ex observationibus omnium qui de hac re scripserunt. Quicunque negabit causam Febrium *excitantem* esse, concedet saepe et potenter corpus his proclive reddere. Quot homines quotidie cernimus aut audimus febre correptos post hesternum Iacchum! Equidem nihil contagii actioni in corpus humanum aeque favet ac Intemperantia, quamcunque parva fuerit; et nihil contra contagium magis corpus defendit quam vita temperata et aequus animus. Hoc confirmat experientia quotidiana, hoc docu-

erunt medici expertissimi ac sapientisssimi philosophi qui post memoriam hominis exstiterunt. Cum Athenis pestis dirissima saeviret, milliaque hominum undique sterneret, Socratem jure philosophorum principem temperantia sua incomparabilis ac continentia salvum servarunt.

Phlegmasiae. Omnium fere morborum hujus ordinis Intemperantia pro potenti causâ remotâ et saepe occasionali habenda est. Quo pacto hoc fit, facile concipere possumus: Cum Intemperantia statim auget et velocitatem et impetum sanguinis, patet, si ex aliquâ causâ sanguis ad ullam partem uberius propellatur, hanc partem inflammationi obnoxiam futuram esse. Longum est enumerare omnes Phlegmasiarum species quae hoc modo oriuntur—Paucas tantum attingam.

Ophthalmia frequens sequela est Intemperantiae. Observatio est vetustissima: "Who" (ait Solomon) "hath redness of the eyes? "They that tarry long at the wine, they that

" go to seek mixed wine." * Ex causis duabus pendere potest Ophthalmia, vel ex aucto sanguinis caput versus impetu, vel ex stimulo praeter naturam quem alcohol aut partes ejus constituentes sanguini impertiunt. Cum velocitas sanguinis ullo modo incitatur, ad caput fere pars maxima iter facit, fortasse ob cursum magis directum a corde ad arterias carotides. Videtur quoque alcoholem vi quadam gaudere specificâ, quâ sanguinem ad caput propellit †. Sed in ebriosis non solum impetus sanguinis sed stimulus quoque augeri videtur. Verisimile est alcoholem vini spiritûsve ardentis a vasis absorbentibus integrum absorberi, et sic ad massam sanguinis adferri; vel in elementa sua dum cibi concoquuntur resolvi, et sic absorberi, potest. Alterutro modo vires sanguinis stimulantes necessario morbide adauget.

Alcoholem uno alterove modo sanguini inesse verisimile videtur ex multis rebus, in ho-

* Solomon's Proverbs, chap. XXIII. 29, 30.

† Doctor Gregory.

minibus qui pocula immodica non spernunt, observandis-eruptionibus quae in cute saepe apparent, faetore oris, flammâ quam nonnunquam emittit halitus oris lumine admoto, et praesertim ex corporis combustione post longum et immodicum liquorum spirituosorum usum, cujus rei mirabilis scriptores fide digni nonnulla prodiderunt exempla*. Eodem pertinet quod tradidit Spalding, urinator magni nominis, cui sub aquâ merso aër in bullâ, huic rei adaptâ, citius impurus factus est cum liquores spirituosos biberat quam cum aquâ solâ pro potu utebatur. Si igitur conceditur alcoholem, vel elementorum ejus excessum, sanguini ebriosorum inesse, haec res cum aucto versus caput impetu satis erit explicare causam Ophthalmiae quae immodicum vini aut liquorum spirituosorum usum fere semper comitatur. Fabrica oculi delicatissima male obstat stimulo

* De hac re mirabili vide Dissertationem in Ephemeride Gallica "Journal de Physique, Pluvoise, An 8," Auctore Pierre Aime Lair vel anglicè redditam in "Essay on Drunkenness" Auctore Doctore Trotter apud p. 63.

tam pestifero, permanensque inflammatio inducetur, in maculas, caliginem, nec raro in Amaurosin, tandem desinens. Hic morbus gravissimus et immedicabilis nunc saepius quam olim occurrit, quod soli usui liquorum spirituosorum aucto adscribendum est.

Unà cum Ophthalmiâ et saepe ante ejus ingressum apparent in facie et praecipue supra nasum *carbunculi* magni deformes. Gregorius noster in praelectionibus suis narrat Hibernum, magnum vini amatorem, paucis abhinc annis, in hac urbe oculos omnium in se convertisse ex formâ et magnitudine nasi, cujus pars tandem gangraenâ affecta fuit et decidit. Multos quotidie videmus quos nasis metuere certe oportet!

Phrenitis est alia haud infrequens et periculosissima Intemperantiae sequela. Parvus excessus vel edendi vel bibendi proclivitatem ad hunc morbum dat. Omnem inebriationem furor brevis comitatur, nec raro veram inducit Phre-

nitidem et lethalem ni valentia remedia statim adhibeantur.

Gastritis Phlegmonodea. Hic morbus raro occurrens fere semper reperitur ex Intemperantiâ oriri; et certe mirandum est ventriculum cibos conditissimos et liquores meraciores quotidie accipientem non statim inflammatione violentissimâ corripi, et morbum de quo agitur tam raro occurrere. Vomitu saepe praecavetur, interdum autem inflammatio mortifera subito invadit. Multos etiam pateram haurientes cita mors abstulit.

Gastritis Erysipelatosa vel levis ventriculi inflammatio saepe eos invadit qui vini aut liquorum ardentium usui immodico addicti sunt. Insignitur dolore circa ventriculum obtuso, anxietate, nausea et anorexia, ad quae sublevanda haustus liquoris spirituosi sumitur, et sic morbus fixus et immedicabilis evadit, functionibus ventriculi paulatim omnino subversis. *Scirrhus* praesertim Pylori aliquando sequela

est inflammationis ab Intemperantia inductae, morbusque est et gravissimus et immedicabilis.

Hepatitis. Morborum omnium quos gignit Intemperantia affectiones Hepatis certissimae sunt, nec minus vel doloris vel periculi afferunt. Effectus quos in hepar edit Inebriatio insignes sunt, necdum satis explicati fuerunt. Proximitas ventriculi non satis est ad causam explicandam; nec verisimile est alcoholem per ductus biliarios ad hepar adferri et sic inflammationem excitare. Haud absimile est, ut supra memoravi, alcoholem vel elementa ejus sanguini ebriosorum inesse; et, si hoc conceditur, ratio inde deducenda est quare morbi hepatici tam saepe in ebriosis occurrunt. Hepar valgo existimatur organon esse a quo hydrogenium sanguinis superstes secernitur et e corpore emittitur. Hoc ostendit analysis bilis et calculorum biliariorum qui magnam hydrogenii quantitatem continent. Alcoholis carbonium per pulmones, per hepar pars maxima hydrogenii emittitur. Stimulus hujus hydrogenii tandem adeo augeri potest ut inflamma-

tionem inducat, aut actio quae ad tantam copiam secernendam necessaria sit, eundem effectum edere potest. Si inflammatio sita est in parte hepatis concavâ, et comprimit ductum communem choledochum quo bilis ab hepate ac fellis vesicâ ad duodenum defertur, *Icterus* tum orietur. Inflammatio fere semper in scirrhum desinit, vel duritiam auctamque hepatis molem, quae etiam supervenit nullis inflammationis signis praegressis. Hunc morbum vulgo comitatur Icterus primum flavedinem tum pallorem cutis exhibens. Cum hoc fit, miser ebriosus nunc morti appropinquat, dyspepsiâ vel hydrope lethali cito superveniente.

Hic narrabo ex auctoritate Doctoris HAMILTON, artis obstetricae in hac Almâ Academiâ Professoris, Hepatitidem chronicam et scirrhum hepatis saepe occurrere foeminis hujus urbis, praesertim nobilibus; et in omni fere exemplo causam repertam esse Intemperantiam.

Podagra. Hunc morbum ex victu lautiori ac vini liquorumque spirituosorum usu immodico ortum ducere, nemo est qui ignorat. Petrarca inquit, "Victus delicatior et animo nocet et corpori, proinde si vis pellere Podagram pelle delicias."* Unicuique bene nota est vetus fabula de Podagrae origine, nempe prolem esse Amoris et Vini. Multi credunt Medici, in nulla regione extitisse Podagram ubi usus liquorum spirituosorum adhuc manet incognitus. "I have heard (ait RUSH) "of two or three cases of the gout "among the Indians; but it was only among "those who had learned the use of rum from "the white people."† Omne tulit dubium hac de re Doctor GREGORY, qui in suis Praelectionibus amplissima protulit testimonia quibus nemo resistere potest. Ibi demonstrat morbum in his, qui nullam habent proclivitatem hereditariam, ab Intemperantiâ saepe induci;

* Vid. Petrarcae Fam. Epist. lib. III. epist. 12.

† Vide Rush. Inquiry into the Natural History of Medicine among the Indians.

et etiam in proclivibus praecaveri posse temperantiâ et exercitatione constanti, cujus ipse est insigne exemplum. Mihi contigit videre pauca exempla Podagrae gravissimae Intemperantiâ inductae absque minimâ proclivitate hereditariâ.

Cum Podagra sit morbus gravissimus et immedicabilis, unumquemque oportet cavere, ne leges temperantiae transgrediendo, malum hoc dirissimum inducat; atque non solum sibi, sed suis etiam nepotibus qui culpam ejus immerito luent.

Exanthemata. In hoc ordine nulli sunt morbi cujus Intemperantia causa est, utpote qui ex contagio specifico oriuntur; sed in hominibus Intemperantiae deditis omnes hi morbi graviores sunt.

Haemorrhagiae. Omnes fere Haemorrhagiae ex Intemperantia oriri possunt. Plenitudo hoc fonte derivata, morbos qui statim necant, saepe inducit. Hi autem saepe pro tempore

praecaventur Haemorrhagiâ obortâ quae, etsi primo pro effectu naturae salutari habenda est, tandem ipsa evadit morbus gravissimus, ut saepe fit in *Haemorrhoide.*

Menorrhagia in foeminis frequens est, et gravis Intemperantiae effectus. Mulieribus vulgo creditur Intemperantiam esse penitus ignotam; sed si altius examinemus, rem minime ita se habere reperiemus, quanquam callidiores sint ad hoc vitium celandum. Hinc saepe occurrit morbus de quo agitur qui aegram ipsam miseram, aliisque odiosam, reddit.

Neuroses. In primo ordine hujus classis sunt duo morbi qui, si frequentiam spectemus mortemque inevitabilem quae his fere semper succedit, sunt morborum fere omnium maxime metuendi, quibus obnoxium est genus humanum, *Apoplexia* scilicet et *Paralysis.* Horum morborum impetus unus, aegrum saepe, paucarum spatio horarum, e vivis eripit. Hujus autem si superstes sit rarissime secundo vel tertio impetu non succumbit, vel, si hos etiam effugiat, manet

in tali conditione et mentis et corporis ut vita ejus est magis quam ipsa mors miseranda. Investigatio horum morborum gravissimorum quae ad certam praecavendi viam perducat (nam mederi artem humanam exsuperat), res est maximi momenti summamque medicorum attentionem optimo jure sibi vindicat. Harum causarum longe frequentissima fortasse sola est Intemperantia, ut quotidiana experientia docet. Porro ii qui his morbis proclives sunt, vel quos etiam semel invaserunt, victum lautiorem ac vini usum diaetae tenui mutando, salutem recuperaverunt. Cum autem hi morbi, si semel invaserint, fere sint insanabiles, res est summi momenti signa quae hos praenunciant indicare. Horum frequentissima sunt dolor capitis, tinnitus, sopor, oppressio, ad somnum praeter solitum proclivitas, rubores, torpor membrorum, partis alicujus affectio paralytica, e. g. digiti unius, strabismus levis, memoria pro tempore laesa. Cum primum pauciora vel plura horum appareant praesertim in homine cui cervix brevis est, facies rubet et corpus obesum, summum periculum indicant et ae-

ger expletionem ac inebriationem cane pejus et angue vitare debet. Haec Apoplexiam inducere satis superque demonstrant mortes multae quos hominibus mensae accumbentibus toties occurrisse audivimus, quarum omnium forsan causa fuit Apoplexia.

Hunc morbum sequelam esse Intemperantiae facile concipi potest. Victus lautior et usus vini ac liquorum spirituosorum immodicus plethoram et saepius obesitatem inducunt. Vasa omnia sanguinem vehentia, praesertim quae sanguinem ad caput vehunt, turgida fiunt et distenta. Si adsit obesitas augetur sanguinis ad caput impetus et vasorum turgescentia, adipe in tela cellulosa collecto per caeteras corporis partes vasa sanguinem vehentia comprimente, dum in cerebro, ubi nullus deponitur adeps, vasa sanguifera necessario praeter solitum distenduntur. Turgescentia vasorum cerebri induci aut augeri potest respiratione difficili, quae obesis vulgo evenit, adipe qui in omento collectus fuit liberum Diaphragmatis descensum impediente. Si ex aliqua causa incitatior fac-

tus fuerit sanguinis circuitus, ut ex mensâ plenâ vel inebriatione, impetus ad caput, ut supra demonstravimus, praecipue augetur, vasa ejus adeo turgida fiunt ut ex eâ causâ vel ex effusione serosâ Apoplexia vel Paralysis induci potest; vel vas aliquod dirumpatur et Apoplexiam mortemque inferat.

Adynamiae. Hujus ordinis *Dyspepsia* praecipue hic venit consideranda. Hunc morbum Intemperantiae effectum esse, cum spectemus modum quo cibi concoquuntur, haud mirabimur. Clare constat ex experimentis concoctionem perfici ope succi gastrici, adjuvante forsan vi ventriculi musculosâ. Si igitur ex aliquâ causâ vel quantitas hujus succi vel qualitas mutatur, credere licet functionem concoctionis laesum iri, cui serius ociusve succedet dyspepsia. Succum gastricum aliquâ ex parte mutari ex cibis conditioribus vinique aut liquorum spirituosorum usu immodico mihi videtur minime esse absimile. Ab his primo secretio augetur et cibi bene concoquuntur, sed brevi secretio fit prava et quantitatem et quali-

tatem, et tandem omnino deletur. Res in quibusdam intemperatis observandae nos ad hanc opinionem ducunt. Per breve tempus videntur sani et robusti, concoctio omnesque functiones optime peraguntur. Mox signis dyspepsiae afficiuntur, cibum omnigenum praeter sapidissimum et conditissimum abhorrent; hunc quoque brevi fastidiunt, ad postremum nihil nisi spiritus ardentes ingerunt, et tandem miserrime occumbunt exhausti.

Fibrae ventriculi muscolosae ad cibos agitandos et sic melius actioni succi gastrici objiciendos, et postea in duodenum expellendos, inservire videntur. Hic videtur usus earum praecipuus in functione concoctionis. Non necessarium est longo sermone explicare quomodo Intemperantia edendi et bibendi, vim ventriculi musculosam imminuere potest. Cum hoc fit, cibus diutius solito in ventriculo detinetur, et in fermentationem abit; unde oritur dyspepsia, succo gastrico nihil mutato. Si hic quoque depravatus fuerit, effectus erit certior graviorque.

Spasmi. Hujus ordinis genus primum memoratu dignum est *Epilepsia,* morbus semper formidolosus nec raro insanabilis. Vera hujus mali natura nondum satis explorata fuit; sed nexus qui hunc intercedit et Intemperantiam bene notus est. In plerisque exemplis cum plethorâ conjungitur, auctoque ad caput sanguinis impetu, quae, ut supra diximus, facile ab Intemperantia inducuntur. In omni igitur exemplo praesertim in adultis, ubi non ex aliquâ irritatione oritur morbus, Intemperantia pro causâ habenda est, et sic medicus methodum medendi instituere debet. Si hoc nihil prodest obesse nequit, et facile pro aliâ, quae melior videtur, viâ mutari potest.

Palpitatio Cordis haud raro Intemperantiae sequela reperitur. Affectio est formidolosa, sed Temperantiâ et exercitatione plerumque facile tollenda. Si haec autem negliguntur saepe fit immedicabilis, et affectiones cordis organicae, non antea existentes, inducuntur, nec sanari possunt. Multum tamen juvant vita

temperata et omnia quae sanguinis velocitatem aut impetum augere possunt sedulo vitata.

Asthma-morbus qui saepe subito invadit aegroque mortem instantem minitatur, alia est et frequens Intemperantiae sequela. Saepe cum plethorâ conjungitur Asthma; illâ sublatâ, hoc tollitur. Cum obesitas plethoram comitatur, ut saepe fit, ratio inde dari potest quare Asthma inducitur. Obesis dyspnoea major minorve semper adest. Adeps in omento et aliis abdominis visceribus liberum diaphragmatis descensum prohibet, et magnâ copiâ circa cor collectus, liberum quoque impedit motum pulmonum. In tali exemplo si ex aliquâ causâ adeo aucta fuerit sanguinis velocitas, ut facile per pulmones transmitti nequeat, irritatio inde datur quae satis sit ad hunc morbum excitandum. Coena immodica saepe vi ejus mechanicâ paroxysmum Asthmatis excitat. Mirus saepe apparet nexus inter ventriculum et morbum de quo agitur. Res adeo parvae in ventriculum assumptae ut motum pulmonum non impedire possent, Asthma nihilo-

minus interdum inducunt. Doctor GREGORY mentionem facit viri qui, si unquam carnem etiam minimam ederat, statim dyspnoea vel paroxysmo Asthmatis gravissimo affectus est. Qui igitur Asthmati proclives sunt, consensûs ventriculi cnm pulmonibus nunquam oblivisci debent, nec rigidam temperantiam sedulo sequi.

Diabetes. Hic morbus nuper tantùm attentionem vindicavit. Multi quidem credunt omnino ignotum fuisse antiquis: Nuperis annis certe magis quam olim invaluit, quod ad modum vitae mutatum referendum est. Immodicus liquorum spirituosorum usus longe frequentissima causa esse videtur. Cum morbus semel invasit rarissime aeger sanitatem recuperat. Quapropter ad hunc morbum molestissimum et insanabilem praecavendum, summam servare temperantiam oportet.

Hysteria. Hic morbus sexui muliebri fere proprius est. De natura ejus nondum adhuc bene constat. Ex irritabilitate, quam comitatur plethora ab Intemperantiâ inducta, saepe

pendere videtur. Hinc frequens est foeminis nobilibus vitae delicatiori nullique exercitationi assuetis; contrà fere ignotus puellis rusticis quae ex vegetabilibus solis vivunt, validaque exercitatione utuntur. Quandocunque igitur foeminis nobilibus occurrit, rigida temperantia praecipienda est, ut primus gradus ad morbum depellendum, et sine quo omnia medicamenta infructuosa erunt. Temperantia saepe sola curationem efficiet.

Vesaniae. In hoc ordine multos reperimus morbos qui inter gravissimos Intemperantiae effectus enumerandi sunt. Morbi mentales fere semper insanabiles, miserumque ad conditionem brutorum vitâ pejorem reducentes, dirissima malorum omnium quibus obnoxium est genus humanum haud immerito existimantur. De horum morborum naturâ parum adhuc compertum est, sed experientia quotidiana docet multum ex morbis corporis pendere. Morborum, quos in corpore gignit Intemperantia, mens brevi particeps fit, et, quod maxime mirum videri potest, effectus in se editos citius

quam ipsum corpus nonnunquam ostendit. Hujus insigne exemplum est

Amentia, morbus praecipue constans memoriâ laesâ vel omnino perditâ, qui saepe Intemperantiae sequela apparet, nullo corporis morbo comitante, et habendus est praecursor alicujus morbi gravissimi, Apoplexiae scilicet aut Paralyseos. Quandocunque morbus sese ostendit aegrum periculi adventantis monere, mutationique vitae ejus quam primum instituendae insistere, medicum oportet. Amentia forsan pendet ex cerebri compressione non satis magna ad Paralysin vel Apoplexiam inducendam; sed quomodo memoria praecipue afficitur est explicatu difficile. Memoria saepe ex parte tantùm laesa est. Perditur nunc recordatio linguarum, nunc hominum, nunc rerum.

Melancholia est alius morbus quem aliquando inducit, saepe auget, Intemperantia. Male igitur ut morbus tollatur ad vinum aut liquores spirituosos recurritur.

Mania. Hic morbus tristissimus frequens sequela est Intemperantiae. In iis qui huic proclives sunt Mania plus minusve per paucos dies post omnem inebriationem saepe restat, et sic paulatim permanens fit. Sed etiam ubi nulla adsit proclivitas, consuetudo Intemperantiae Maniam inducet. Certum quidem est hominibus, qui huic pravae consuetudini indulgent, fabricam cerebri plus minusve laedi. Morgagnus in libro suo celeberrimo "De causis "et sedibus Morborum" multa prodidit exempla ubi substantiam cerebri, patefactis ebriosorum craniis, multum mutatam reperit.* Quando fons sensûs motûsque tantum ex bibendi Intemperantia patitur, minime mirandum est dotes animi saepe perditos fuisse.

Oneirodynia. Insomnia, somnus interruptus et Incubus, omnibus qui vitam intemperatam agunt, saepe occurrunt, et molestissimae ad minimum affectiones sunt. Saepe excitantur coenâ gravi, saepe sine aliqua causa evidente

* Vid. Lib. I. epist. ii. 22. epist. iii. 6, 16. epist. v. 11. epist. viii. 6. epist. xi. 6, 7. Lib. II. epist. xxvii. 28.

oriuntur. Helluonibus sane et ebriosis somnus levis et recreans denegari videtur. "Sleep," (ut in libro qui "Adventurer" inscribitur) "as "the chief of all earthly blessings, is justly ap-"propriated to industry and temperance; the "refreshing rest and the peaceful night are "the portion only of him who lies down weary "with honest labour, and free from the fumes "of indigested luxury; it is the just doom of "laziness and gluttony to be inactive without "ease, and drowsy without tranquillity."

Cachexiae. In hac classe multi sunt gravesque morbi qui saepe ex Intemperantia originem ducunt.

Polysarcia. Hic non morbus, sed signum perfectissimae sanitatis et vigoris, vulgo existimatur. Conditio morbosa certe tamen habenda est, cum morbos non leves serius ocius inducit. Obesis omnibus vita brevis est. Hippocrates dicit, "Naturâ admodum crassi, celerius intereunt, quam graciles." Jam explicavi quomodo obesitas proclive ad Apoplexiam

et Paralysin et etiam ad Asthma corpus reddit. Corpulentia quoque magnam ad hydropem proclivitatem dat; adeps et venas et vasa lymphatica comprimens, exhalationem per venas auget, minuitque absorptionem per lymphatica. Alii morbi, praesertim organorum urinariorum a Polysarcia inducuntur. Supra memoratos solos satis sit enumerâsse; optime ostendunt corpulentiam conditionem esse corporis, quae morbis gravissimis originem praebet; ab omni igitur qui bonâ vult frui valetudine caute vitanda. Temperantiâ et exercitatione fere semper praecaveri, etiam inducta amoveri, potest corpulentia; et diaetâ tenui ac constanti exercitatione ad sudorem perductâ homo pinguissimus ad justam magnitudinem paucis mensibus saepe potest reduci.

Hydrops. Sub hoc titulo veniunt quidam morbi qui saepe invadunt, nec raro extinguunt eos qui vitam degunt intemperatam. Equidem cum Hydrops corpus invadit Intemperantiâ exhaustum, sanitas penitus deperditur nec mors procul abest.

Hydropis inter homines Intemperantiae addictos tam frequentis causae multae sunt. Induci potest relaxatione ea generali quae serius ocius adoritur. Haec relaxatio effusionem per vasa sanguinem vehentia auget, et minuit absorptionem per vasa lymphatica. Hydrops quoque induci potest corpulentiâ, ut supra ostendimus, et incrementis viscerum scirrhosis venas aut vasa lymphatica comprimentibus. Hae fortasse sunt frequentissimae causae, et hinc hominibus Intemperantiae addictis *Ascites* omnium Hydropum saepissime occurrit, ab incremento Hepatis scirrhoso vulgo inductus.

Scrofula, quae toties occurrit totque varias formas induit, ex causis multifariis, quarum praecipue jure habenda est Intemperantia, forsan oriri potest. Certe verisimile est semina morbi a vita intemperata et ali et confirmari, vique auctâ ad posteros transmitti; contrariumque vitae cursum optimam esse viam et ad compescendum et ad debellandum morbum.

Scorbutus. Hic morbus nunc raro occurrit. Experientia longa docuit nihil tantum curationi ejus obstare ac liquorum spirituosorum usus.

Icterus. Icterum frequentissimum esse effectum Intemperantiae certumque debilitatis corporis ac mortis appropinquantis signum, jam supra memoravi.

Locales. Ad hanc classem multi referuntur morbi ab Intemperantia inducti. Qui ad ordinem *Dysesthesiae* pertinent, oriri possunt ex affectione generali systematis nervosi quae citius vel serius hominibus vitam intemperatam degentibus evenit, vel fortasse ex origine nervorum compressâ, antequam invaserit Apoplexia.

Ultimus hujus ordinis, nempe *Anaphrodisia,* libidinis defectus vel veneris impotentia, haud raro hominibus intemperatis occurrit, et saepe fit causa multae domesticae miseriae. Veneris impotentiam ex Intemperantiâ oriri

clare constat quia raro inter homines pauperes et temperatos reperienda est, et quia saepe sublata fuit diaetâ tenuiori ac parcissimo vini usu.

Sterilitas foeminarum saepe ex eadem causa pendet et eodem modo tollenda est. Propterea rectè Angelus admonet uxorem Manoae, quae Samsonem peperit, his verbis: "Behold now, thou art barren and bearest not; "but thou shalt conceive and bear a son. "Now therefore beware, I pray thee, and "drink not wine nor strong drink, and eat not "any unclean thing." Judges, XIII. 3, 4.

Nullum fere corporis humani organon non ex Intemperantiae consuetudine tandem laeditur; inter alia, non mirandum est organa quae generationi inserviunt quoque depravari, et hinc vitia parentis in seros nepotes, si qui sunt, esse transitura. Hinc cernimus quam necessaria omnibus sit temperantia, ut sanitatem suam tueantur, posterisque tradant. Qui prolem vult gignere sanam Intemperantiam caveto.

Summum totum morborum omnium qui ex Intemperantiâ ortum ducunt est *Matura Senectus.* Omnes medici ac philosophi a primis etiam temporibus clare indicant temperantiam solam esse viam quae ad senectutem morbis carentem ducit, et nihil huic magis adversum ac cursus vitae contrarius. Sanitas et senectus beata, domibus divitum relictis, parvo sub lare pauperum commorari gaudent. Denique ex his qui vitam intemperatam degerunt, vix unum reperies qui ad annum aetatis quinquagesimum pervenerit: vel si hunc attigerit, frons rugosa, vultus pallidus et tumidus, vox incerta, dentes omnes perditi, manus tremens et incessus titubans summam corporis debilitatem arguunt; dum judicium laesum, timiditas, dubitatio, moestitia, lusus pueriles, animum indicant Intemperantiâ, non annis, fractum.

Morbis quos gignit Intemperantia plerisque jam memoratis, nunc demum progrediar ad modum, quo consuetudo Intemperantiae abrumpatur ac hi morbi praecaveantur, quam brevissime potero indicandum. Res est minime facilis, nec ulla praecepta generalia quibus efficiatur tradi possunt. Multum judicio et prudentiae medici relinquendum est. Corpus humanum omnem mutationem subitam aegre fert. Cum quis igitur consuetudinem Intemperantiae abrumpere volet, nec amplius cibis conditioribus ac vino aliisque liquoribus meriacioribus uti, *paulatim* vitae temperatiori assuescere debet; et ut qualitas quam quantitas diaetae commodius mutatur, mensae apponendus est cibus tenuis ex vegetabilibus praesertim confectus sine condimentis aut eliquaminibus. A potionibus omnibus meracis inter edendum statim desistere oportet, quoniam

falsum creant appetitum, et plus cibi inde sumitur. Si tamen signa alicujus morbi gravissimi urgent ad vitam temperatam quam primum fugiendum est.

Potûs quoque aegros paulatim primo qualitatem mutare tum quantitatem minuere oportet, donec ad nihil aliud nisi aquam aut liquores fermentatos tenuissimos bibendum ventum est. Cum ab Intemperantia Edendi aliquis destiterit, usus vini aut liquorum spirituosorum minus necessarius fit, et facilius intermittendus est. Doctor LETTSOM in libello suo de Ebriositate narrat virum, magnum vini amatorem, pravam inebriationis consuetudinem vicisse, pauxillum cerae in poculum infundendo quotiescunque erat bibiturus, donec tandem poculum totum compleverat, et sic sibi omnino denegaverat haustum. Optimum mihi videtur fuisse consilium, omnisque ebriosus eundem cursum forsan tenere debet.

Non dissertationi finem prius imponam quam duo narravero exempla quae malos In-

temperantiae effectus quam optime ostendunt, et quantum valet cursus vitae rite mutatus.

Ludovicus Cornaro nobilis Vénetus, vitam intemperatam a primis annis degendo, senectutem maturam induxerat, tantùm quadraginta annos natus. Corpus adeo fractum est ut medici praenunciarent ni vitam totam mutaret brevi essse periturum. Hoc perterritus consilium eorum sequi statuit. Effectus erat mirabilis. Sanitatem ac robur et animi et corporis cito recuperavit, et amplius centum annos vixit, mentis dotibus nihil imminutis. Amplius nonaginta annos natus libellum de sanitate et senectute conscripsit, omnibus perlegi dignum qui sanitate frui aut ad senectutem pervenire velint.

In Actorum Medicorum Londinensium tomo secundo narratur exemplum adhuc magis mirum. In *Billericay* vico comitatûs Essexiensis Molarius assuetus erat laute vivere, carnem imprimis pinguissimam immodice de-

vorare, et magnam liquoris meracioris, praesertim cerevisiae fortis, copiam inhaurire. Sic obesissimus factus, Podagrâ, Asthmate, Epilepsiâ ac signis Apoplexiae imminentis correptus est. Quum parum abfuit quin his malis occumberet, sacerdos parochi in manus ejus tradidit CORNARI libellum anglicè redditum, et molarius praecepta ejus cito sequi statuit. A carne primum pingui, tum a carne omnigenâ destitit, et in locum ejus farinam vel panem biscoctum et lac despumatum suffecit. Panis libram unam cum lactis sesquilibra concoctam quotidie assumpsit, et satis inde et nutrimenti et roboris accepit. Liquores meraciores paulatim intermittebat, brevi potum omnigenum prorsus abnuebat. Hâc diaetâ usus ab obesitate, Podagrâ, Asthmate, Epilepsiâ, proclivitate ad Apoplexiam cito convaluit, magisque sanus ac robustus erat quinquaginta annos natus quam olim anno aetatis vigesimo quinto.

De his duobus exemplis nihil amplius dicam. Omnibus et filiis et filiabus Intem-

perantiae, mala quae hoc fonte derivantur, et viam quâ haec vitari possunt, quam optime ostendunt.

FINIS.

EX TYPOGRAPHIO ACADEMICO.